

041

039

045

035

050

030

090

140

540

Ende

Anfang

30

Monstra bestiarum.

Facto prandio dum deambulaverimus in curia, ecce, quatuor Mauri venerunt, ducentes secum ingentem bestiam de curia domini Soldani, quam nominant Seraph, quam exhibebant nobis videndam. Haec bestia Seraph est multo major camelō et procerior et quadrupes est, ita tamen, quod anteriores pedes sunt longiores posterioribus, in tantum, quod super dorsum bestiae nec homines sedere, nec onera manere possunt propter declivitatem dorsi. Longum habet collum ut camelus et caput parvum ad modum equi cum acutis cornibus caprinis, caudam habet quasi canis, non ita pilosam, et ungulam dividit ut bos, colorem habet rubeum cum albis maculis, ac si essent stellae. Est autem pulchra et mansueta bestia, magis ad videndum delectabilis, quam ad aliquem usum humanum habilis propter crura disproportionata. Quamvis enim longum habeat collum, tamen ore suo terram contingere non potest propter longitudinem crurum. Ideo omnem suum cibum de alto sumit, de terra colligere nihil potest, sed de arboribus capit folia et a clivis et praecipitiis et petris sumit gramina, dum ipsum stat inferius; in parte anteriori per crura est in tantum elevata, quod homo potest sub ventre ejus sine inclinatione trahire. Si staret haec bestia in foro Ulmensi ante domum Zecharum dominorum civium et se erigeret, cibum capere posset de fenestra stufae. Dum concepit foetum, non crescit in ventre, nec intumescit sicut alia praegnantia animalia, sed per genitale incipit dependere et extra crescere, in tantum, quod foetus dependens lambit de terra suum nutrimentum et comedit gramina; mater autem contra naturam paene omnium bestiarum maxime odit pullum, sed ei nocere non potest, multos enim cruciatus sustinet interim, quod eum portat. Dum autem tempus pariendi advenerit, subito in terram cadiit, sicut malum de arbore, dum maturitatem debitam adeptum fuerit, quam cito autem ceciderit, repente fugit, quia mater, ut sentit se liberatam, convertit se, quaerens ipsum extinguere. Hanc bestiam cum admiratione vidimus et ejus ductoribus curiosias dedimus, propterea enim nobis illam adduxerant, ut denarios acciperent. Illis abeuntibus venerunt duo juvenes Aegyptii, ducentes secum leonem magnum, pinguem et ferocem, ad catenam, qui erat

